



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De discernendis Spiritibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

ris, Deum non poteris irridere. Ille te eicit, cuius oculis nihil occultum est: ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt: ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam; de cuius ore exiet gladius bis acutus: Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Resp. Amen.

Possunt legi Psalm. Deus in adiutorum. Psalm. In Domino confido. Et Psalm. Quid gloriaris in malitia.

Item Litanæ cum precibus suis & orationibus.

DE DISCERNEN- DIS SPIRITIBVS.



ET si donum discernendi spiritus non sit omnium; sed peculiari gratia quibusdam conceditur, & negare non velimus, quin bonorum hominum spiritus singulari dispensatione Dei reddere possunt, sicut ex Gregorij dialogis constare potest, & de Angelorum apparitionibus multa in scripturis habentur: tamen cum istis malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ & probè sciant quantum nobis ab eorum insidijs periculi sit, nihil offendatur, si cautissimè nobis prospiciamus, & omnem insolitam apparitionem suspectam habeamus, ac proinde sicubi spiritum tumultuantem aut cientem terribiles strepitus audierimus, aduersus eum tanquam dæmonem armemur, tantisper donec aliud certissimis documentis deprehendatur. Et in hunc usum accommodari possunt, quæ de spirituum immundorum discretionem prolixè disserit D. Athanasius in vita D. Antonij ante medium opusculi, potissimum à loco ubi habet: *Nunc iam ceteras vobis Dæmonum explicabo fallacias.*

Opor-

Oportunè autem satis duæ formulæ superiùs subinde repetitæ, quarum altera precibus potissimum, altera Exorcismis & adiurationibus nititur, inuicem iunguntur in vsu Ecclesiastico, & vicissim sibi succedunt: nam & precantibus fiduciam addit promissio Christi, potestatem instituentis & efficaciam acuit, vsuque potestatis religiosiorem facit pietas humiliter supplicantium.

Postquam omnia tentata sunt, siue succedat pro voto, siue non succedat, præ oculis habenda & in vsu trahenda est consuetudo Sancti Antonij, qui teste Athanasio patientibus condolebat: & quanquam Dei adiutorio multos liberaret, nunquam tamen aut de incolumitate curatorum est inflatus ad gloriam, aut de obsessis adhuc corporibus aut afflictis murmurauerit, si non sequeretur liberatio: magis autem eodem semper animo & vultu manens gratias Deo referebat, suadens occupatis vt correptionem, qua vexabantur, patienter ferrent. Non enim Antonij, aut cuiuspiam hominum hanc esse medicinam, sed Dei solius, qui consuevit & quibus vellet, & quo vellet tempore dare sanitatem. Ita consolatione sua & vexatos æquanimiter ferre tentationem, & iam liberatos non sibi, sed Deo gratiam referre docebat. Sicut autem piorum preces, certissimas promissiones habent in scripturis quòd exaudiantur, & tamen ex multis causis contingit differri desiderium etiam humiliter supplicantium, vt vel id ipsum non accipiant quod petebant, vel non statim accipiant: ita non est in dubium vocanda potestas, quæ ad Exorcismos in ordinatione datur ministris Ecclesiæ in ædificationem, etiam si interdum corporaliter vexari ab eis non liberentur, sicut Apostolo non expediebat liberari ab angelo Satanæ. Interdum etiam in præparatione ministri defectus esse potest. Nam & Christus Apostolis rogantibus, quare dæmonium eijcere non potuissent, respondit, propter incredulitatem vestram. Possunt & aliæ esse causæ. Sanè dæmones torqueri piorum precibus & religiosa commemoratione triumphorum crucis Christi notissimum est, vndecunque tandem fiat, vt etiam flagellati, & verberibus attriti non cedunt.

Hæc omnia videntur satis consonare Ecclesiasticis Regulis. In formulis autem Exorcismorum, quæ non habent certum documentum legitimæ approbationis, diligenter cauendum à superstitionibus, quæ sæpè immiscentur, quales quædam circumferuntur ab indoctis hominibus: nec illi Exorcismi tantùm reiiciendi sunt, qui per inscriptos characteres & nomina Barbarica satis apertum superstitionis indicium præ se ferunt, sed & alij, in quibus occultè magis, & ob id periculosius immiscentur vanæ ceremoniæ & ritus, ab ecclesiastica consuetudine alieni, & tamen (quæ est diaboli fraudulenta calliditas, & noxia illusio) etiam talibus cedere & fugari videtur. Sed videndum ne Dei permissione, & in vindictam superstitionis

sic cedat & abstineat à possessionum detrimentis & corporum infestationibus, ut animas sibi magis obnoxias reddat. Proinde non est titulis illis multum confidendum qui libellis interdum præfiguntur, Probatum vel expertum est, &c. Nam in hisce rebus non tam ab experientia sumendum iudicium, quàm à regulis fidei, quibus probè seruatis experientia etiam aliquid tribui potest.

Ex his quæ in ordinatione Exorcistarum dicuntur, videri quæat, quòd antiquitus certa aliqua forma præscripta fuerit, ad reprimendos aut eijciendos demones: sed non conitat hanc aliam fuisse, quàm qua in sacro Baptismate, aut Ecclesiarum & altarium consecratione utimur. Et quamquam etiam certum non sit, quòd ea ipsa fuerit, tamen à periculo sumus securi, dum Ecclesiasticam regulam sequimur & eas formulas seruamus, quas Ecclesia Sacramento Baptismi, vel alijs rebus quas in religiosum vsum ex consuetudine consecrandas suscipit, adhibere solet. Verùm cum Baptismales exorcismi transferuntur in vsum, qui nunc tractatur, non adhibentur tanquam sacramentales, & ob id non ita religiosè inhærendum est eis, ut si quid amplius, aut minus, aut alio ordine fiat, putetur propterea violata actio. Expediit tamen in publicis exercitijs, seruari vniformitatem. Et si quidem res notabilis sit & formidabile aliquid præ se ferat, tutius erit adhibere socios actionis & cooperatores, non tantùm propterea quòd animus societate corroboratur & firmatur, sed etiam, & magis propterea, quòd consensus comprecantium orationem facit efficaciorè & singularem promissionem impetrationis habet, iuxta illud: Si duo vel tres in vobis consenserint, &c. Et propterea ut maior sit fiducia, omnes quorum negotium agitur, moneantur, ut se ad pietatem componant, & vota sua sacerdotum actionibus & precibus coniungant. Sic autem piè affectis, & benè præparatis, etiam Christus sua virtute haud dubiè singulare defensionis præsidium conferet, ut formidare non debeant à furoribus maligni hostis, qui tanta securitate subnixi sunt.

ORATIO.